DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE

SUCCINO,

EJUSQUE SUMMA IN MEDICINA EFFICACIA,

QUAM,

FAVENTE NUMINE DIVINO,

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. BERNHARDI ALBINI,

SACRÆ REGIÆ MAJEST. IN PRUSSIA CONSIL. AULICI ET ARCHIATRI. MED. THEORETICO-PRACTICÆ IN ACAD. LUGD. BAT. PROFESSORIS,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academici Consensu,

& Nobilissimæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè consequendis,

Publico & solenni examini subjicit

MELCHIOR PHILIPPUS HARTMANN,

REGIOM: PRUSS,

Ad diem 10 Julii, horâ locôque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud ABRAHAMUM ELZEVIER, Academiæ Typographum. M DCC X.

AUGUSTISSIMO, SERENISSIMO
ATQUE POTENTISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,

DOMINO
FRIDERICO,
REGI PRUSSORUM,

MARCHIONI BRANDENBURGICO,
S. R. I. ARCHI-CAMERARIO ET ELECTORI,
SUPREMO ARAUSIONIS ET NEOCOMI
PRINCIPI,
MAGDEBURGI, CLIVIÆ, JULIACI, MONTIUM, STETINI, POMERANORUM, CASSUBIORUM, VINIDORUM ET MEGAPOLIS, ITEM IN SILESIA, CROSNÆ
DUCI,
BURGGRAVIO NORIMBERGENSI,
PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ, CAMINI, VANDALIÆ, SVERINI, RACEBURGI & MEURSÆ,
COMITI HOHENZOLLERIÆ, RUPINI, MARCÆ, RAVENSBERGÆ, HOHENSTEINII, TECKLENBURGI, LINGÆ, SVERINI, BURÆ & LEERDAMI,
MARCHIONI VEHRÆ & VLISSINGÆ,
DYNASTÆ RAVENSTEINII, ROSTOCHII, STARGARDIÆ, LAUENBURGI, BUTOVIÆ, ARLAIÆ AC BREDÆ, &c. &c. &c.

PATRI PATRIÆ,

PIO, JUSTO. FELICI,

Regi ac Domino suo longè Clementissimo
SACRUM!



AVGVSTISSIME
REX



on tantum ſuccini eximius ſoliſque æmulus fulgor Veteres Græcos impulit, ut ſole Electore vocitatô, electri voce quoque illud donarent, ſed & inſignis virtus, quâ ſolis radiis inardeſcens quævis ſibi ſubjecta celeriter ad ſe rapit. Id quod vel indè facile cuivis noſcere eſt, quod & hiſce temporibus nullius telluris amore detineatur, niſi ubi ſol habitat almus,qui crebrafulgura ipſi impertit,ut præ cœteris,quibus in hâc virtute palmam præripit gemmis, perpetuò in luce verſetur. Nullibi terrarum namquè meliorem Phœbum repeeriens, TE, REX AUGUSTISSIME, Optimum Solem ſolum ſibi delegit, TUIQUE Soli ſolius domicilium ſibi comparavit. Lumina TUA radiantia gratiæ plena toties ſibi de-

fixa ſenſit, quoties Virorum ingenia ſolertia ſibi affixa tenuit. A repercuſſi hujus Luminis radiis & mea ſtudia leviora exagitata, & in motum concitata ad idem reſilierunt, quæ, ut firmiùs ipſi adhæreant, à Luce TUA irradianda ad pedes TUOS advolvuntur. Quæ nunquam ſatis digna Tanti Luminis irradiatione evadere poſſunt, neminem unquam pro merito Gratiam Tanti REGIS promeruiſſe quum palam ſit, unitis uiribus cœterorum mens devotiſſima ſupplex compenſatura, pro Benigniſſimi Luminis noſtri Lumine in ævum coruſcante ad Numen Divinum ardentia ſuſpiria piiſſima perpetim mittere nec in ultimô vitæ halitu ceſſabit.

AUGUSTISSIME

REX

REGIAE TVAE MAJESTATIS

cliens humillimus

M. P. Hartmann

I. N. I.

PRÆFAMEN

In eligendâ materiâ diu anceps hærens monitum tandem Horatii perpendi.

Sumite materiam, vestris, qui scribitis æquam
Viribus, & versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri.

Jam â puerô auspiciô B. Parentis scientiam de succinô comparare naviter intendi, quum & audiendi & intuendi, quæ de eo memorabilia obvenerunt, semper æqua mihi fuerit potestas. Plurima quidem jam ab Ipsô prolixè satis, tam quæ Historiam Civilem, quam quæ Physicam concernunt, in binis Tractatibus, quorum alter FFti An. 1667., alter verò ex mandato S. R. *Majestatis* in Prussiâ Berolini typis impressus, sunt tradita, pauca verò, quæ medicum respiciunt usum, in iisdem sunt commemorata: Adeoquè adhucdum Amicorum certorum solicitationibus expugnatus, quum neutrorum ferè ullus vendibilis prostet, de eô Dissertationem Inauguralem consignare animum induxi, partim monito Horatii obtemperare, partim desideriis Amicorum respondere gestiens. Eâ tamen ratione, ut nec istius dicti immemor sim.

Quicquid compones, esto brevis, ut citò scripta
Percipiant animô dociles, teneantque fideles.

Indequè adeò brevitati studui in iis, quæ jam dicta sunt, nondum commemorata verò prolixiorem edisserendi facultatem esse concessam autumans. Ex hisce interim scribere quæ rectè nescio, decedo peritis, & siquis me forsan error opprimit, me submitto sinceris. Intereà levem huncce laborem Quibusdam placuisse ubi rescivero, in sinu gaudebo, & quodsi ampliorem Tractatum, qui B. Parentis scripta ac annotata, meaque adjuncta cum Autorum designatione complectatur, expeti sensero, ad morem iis gerendum animum appellam. Hic verò Præfamini ultimam lineam addens, veniam pro laude peto, laudatus abundè, non fastiditus si Tibi Lector ero.

Caput Primum.

De Etymologia, Homonymia & Synonymis.

§. 1. ETymologiam vocis succini præmittere mos consuetus postulat, interim persuasi sumus, nullum alium fructum ex vocis hujus originis inquisitione, ejusdemque explicatione, reportari posse, quam solam certitudinem de falsâ veterum sententiâ, quâ ducti, arboris succum esse credentes, ob id succinum appellarunt. Vocem namque hanc Latinis ortum suum debere, sufficienter indicant Beroaldi versus.

Et dives pecoris feraxque gemmæ,
Quod glessum vocitant tui Parentes,
Electrum Attica, succinum Latini.

§. 2. Quod ad Ejus significationem propriam spectat, hanc lippis & tonsoribus notam esse arbitramur, adeoque indicatione ulteriori haud indiget. Impropria verò quum rarissimè occurrat, in disquisitionem venit. Inservit nonnunquam Chymicis sub eo nomine rem plane aliam declarantibus. Ita sæpius succinum Antimonii nuncupant ejus vitrum. Paracelsus Mentionem facit alicubi ovi cocti â sole in succinum coagulati; Huncque eôdem experimentô susceptô plures sunt sequuti. Idem alibi, quando succinum Corporis semen allicere dicit, per id Matricis vim attractricem intelligit. Et ad delicias ejus respectum habens Nero Domitianus, Capillos Conjugis suæ Poppææ in hoc nomen adoptavit, eos carmine quôdam succina appellando. Placuit quoque nonnullis Ambram Gryseam vocitare succinum Orientale.

§. 3. Synonyma ejus varia obveniunt, & quod gens quævis vernaculâ linguâ nomen olim imposuit, in latinum transmutatum, usuque postmodum receptum passim legitur. Sic ab Atticâ gente electri mutuamur, quando succini nomen mutuat Latina; Germani Glessi, prifcique Pruteni Gentari voce donarunt. Ab Italis quondam denominatum thieum, theion, thyeion, â Scythis sacrium vel Agryon, â Syris Ketaph, ab Ægyptis Sacal, ab Arabibus Ambra, Abra, Arabar, vel ambarum, a Persis Carabe, Charabe, Karabe.

§. 4.

§. 4. Propriô Idiomate hôc ævô Curones vocant ſintre, Lithuani Gintars vel Gentars, Sudavienſes ſive Sudini Genitar, Germani Agtſtein / Augſtein / bornſtein / priſcis Germanis ſub voce Schioalternich & Glaſſ notum fuit ſuccinum, undè Inſulas Glaſſarias quidam derivant. Poloni nominant Bursztyn, Galli ambre, Carabé, ſuccin, Itali Ambra, Elettro, ſuccinó, Angli Amber, Dani Raff.

§. 5. Reſtat adhuc, ut ſententiam noſtram de cœteris Synonymis æque ac Homonymis, quæ hinc illinc ab auctoribus quibuſdam minimè rectè uſurpata inveniuntur, aperiamus. Illis verè ſunt abuſi, quod de origine atque generatione ejus falſas conceperint opiniones: Indè adeò poſteà evênit, ut partim lyncurium, partim Gagaten, partim petroleum, partim Ambram gryſeam per idem intellexerint. Hæc, quæ omnia, ac ſingula ex ſubſequentibus faciliùs innoteſcent.

Caput Secundum.

De variis Autorum ſententiis circa Generationem ſuccini, verâque ejus Deſcriptione.

§. I. Iis itaque expoſitis, quæ ad vocis ſignificationem enodandam quidpiam contulerunt, ad deſcriptionem ejus ut nos jamjam convertamus, ratum habemus. Maximè verò de ejus generatione Autores ambigunt; Horumque ſingulas ſententias perſequi magnitudo pagellarum vetat. Quapropter ut quomodocunque tamen Curioſo Lectori ſatisfaciamus, quaſdam ex hiſce tantum paucis dabimus.

§. II. Fabuloſa commenta Poëtarum ſeſe nobis primò offerunt, atque inter illa haud poſtremum obtinuit locum illud de Phaëtontis fulmine icti ſororibus, fletu in populos, vel uti alii volunt, in alnos mutatis, Lachrymis electrum quotannis fundentibus. Ut innuit Ovidius.

Vos quoque felices, quarum Clamantia fratrem
Cortice velavit populos ora novô.

atque idem alibi pergit,

Inde fluunt Lachrymæ: ſtillàtaque ſole rigeſcunt
De ramis electra novis, quæ lucidus Amnis
Excipit, & nuribus mittit geſtanda Latinis.

Expetunt quoque electrum esse appellatum, quando sol sit vocitatus Elector; indè solis radiorum succum esse autumarunt.

§. III. Haud multum ab illô commentô abludit fictio, quâ e Lachrymis avium Meleagridum Meleagrum deflentium succini Originem derivandam esse existimarunt alii, hujusque generis plura figmenta apud Poëtas reperiuntur, in quorum numerum & illud de Virginibus Hesperidum, ex Magno Horto Hesperidum in stagnum cadens succinum colligentibus, referendum.

§. IV. De Philosophorum veterum sententiis, ut quoque quasdam adjiciamus, lubet præmittere eam, quâ crassè satis electrum pro Lyncurio habitum, ex urinâ bestiarum Lyncum, alias Languriarum vel Langarum nuncupatarum, ortum suum deducere haud dubitarunt.

§. V. Eâdem Chordâ ferè oberrarunt quoque, qui ex insulâ Sylvosa Osericta defluere in petras asseverare conati sunt. Undè etiam facilè error ortus, ut petroleo nomen succini quandoque sit impositum; Et qui pro purgamento maris concreti æstimarunt, haud minus â veritate aberrarunt.

§. VI. Nec quoque rem acu tetigerunt, qui in viis propè maris Adriatici sinûs rupes Arbores stare censent, quæ Canis ortu fundant Gummi ab ipsis ita prædicatum; atque parum absona est ratio illorum, qui ex arboribus, ab his Electridis, ab aliis Arphytacoris dictis, electrum effluere affirmant. Non defuerunt quoque, quorum opinio tulit, succinum Balenæ lentorem vel squalorem existere.

§. VII. Tandem tradiderunt aliqui, lacum quendam, Cephisida dictum, sole excalfactum e limô dare electrum fluitans. Interim Plurimi in eô errore detenti fuerunt, ut certò persuasi extiterint, e defluente medullâ ex pinei generis Arboribus, uti gummi e Cerasis, succinum generari, postmodum verò rigore autumnali densari.

§. VIII. Quod Recentiores scriptores concernit, itidem magna adhuc inter illos intercedit lis, ita ut reconciliari minimè queant. Ad æs & mineram illud referentes perhibent, quod sit succus mineralis terræ, qui â pinguedine & sulphure telluris ortum trahat, & â frigore Aquæ coaguletur.

§. IX. Alii petroleum resolutum esse dictitant, ibi plerumque reperiri opinantes, ubi naphtha abundat. Hæc qui accuratius perpenderunt, bitumen liquidum primò esse ratiocinati sunt, quodque maris salsuginis ope concrescat, tenui scilicet portione exclusâ. Verum quod nec hi omne tulerint punctum, ex insequentibus patefiet.

§. X.